



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Cibus Electvs Sive Instrvctiones Sanctae De vita sanctè
traducenda& inter pios sanctósque affectus concludenda**

Elffen, Nicolas

Coloniae, 1667

Instructio V. Traditur modus ad puritatem & castimoniam Angelicam
enitendi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55232)

INSTRUCTIO QUINTA.

*Traditur modus ad puritatem & castimoniam
Angelicam enitendi.*

Angelicam stude, mente & corpore puritatem æmulari, & hoc tuum sit symbolū, quod semper in corde, quod in ore, quod in omni actione tua præ te feras: *Malo mori, quam fœdari.* Angelus autem animo eris, si nullam in eo impuriorem imaginationem multò minùs desiderium patiare, sed si te impetat, sollicitè & celeriter repugnes, ne cordis tui pénétralia subeat.

Angelus eris ore, si omni studio caveas, ne unquam ex ore tuo ullum minùs pudicum probatumque verbulum elabatur, si vites teneros, effœminatos, delicatulos, & affectatos ridendi & loquendi modos; si sermonem abstineas, non modò ab omni re turpi; sed etiam naturali quâcunque minùs decenti.

Angelus demum eris in actionibus tuis, si in gestu & totius corporis compositione nihil se prodat, quod aliquam vel inverecundiam, vel levitatem, vel liberiolem ac præfidentiolem agendi modum sapiat. Atque hinc incessus tuus sit virilis & maturus, aspectus oculorum non sit nimium mollis, tener & graciosus, multò minùs protervus & impudens. Arceantur oculi ab aspectu speciosorum hominum, etiam proprii corporis, etiam ab otiosâ contemplatione propria.

priarum manu um, sintne illæ elegantulæ, munda & benè proportionatæ: abstineantur manus ab omni attractu non modo impuro, sed etiam sensuali manus & faciei alterius. Dum te ad dormiendum componis, nulla pars corporis nuda appareat, & situs jacentis in lecto, sit talis, quem etiam in præsentia virorum gravium, si coram his necessariò jacendum esset, non erubesceres, vitæque omnem etiam ulnarum & brachiorum denudationem, non modò dum sanus, sed etiam dum æger decumbis. Conversatio tua, licet cum personis sanctis, nihil tamen habeat humanum aut minus puræ ac defæcatæ affectionis admixtum. Demum amore castitatis etiam mundus & pudicus sit vestitus tuus, munda cubicula & conclavia, ut nihil in illis sit inordinatum, nihil minus compositum, ut nunquam verecunderis si magnæ authoritatis vir ex improvviso cubiculum ingrediatur. ne videlicet tum necesse sit, aliqua subito ex oculis amovere. Exterior hæc compositio & mundities, index sit & argumentum interioris. Quanto castior & purior eris, tanto majores habebunt delicias Jesus Maria & Angeli, ut tecum conversentur.

INSTRUCTIO SEXTA.

Declarantur actiões Paupertatis Christianæ & Religiosæ.